

„ sponder; conjunctio autem non ultra
 „ sponsalia progrediebatur. „ Hoc ipsum
 „ asserit pariter Suarez 3. par. qu. 29. ar. 2.
 „ disp. 7. verbis hisce: „ Addunt denique
 „ Patres consuetudinem illius populi fuisse
 „ se, ut hujusmodi Virgines, quæ in tem-
 „ plo manebant, cum primum convenien-
 „ tem expleissent ætatem, a Sacerdotibus ad
 „ paternas domos remitterentur, ut nuptui
 „ traderentur: Parentes autem B. Virginis
 „ fuisse mortuos post annos undecim, qui-
 „ bus B. Virgo in templo vixerat. Sacerdo-
 „ tes vero fuisse consilium, quid de sacro
 „ illo corpore statuerent; quia nec decebat,
 „ nec usitatum erat, ut mulier jam adulta
 „ in templo versaretur, & aliunde time-
 „ bant alicui viro jus, & potestatem in cor-
 „ pus illud facere; tandem vero divina in-
 „ spiratione, & instinctu decrevisse, eam
 „ tradere nomine desponsationis cuidam
 „ viro, ad custodiendam ejus virginitatem
 „ idoneo, qualis Joseph ex eadem familia,
 „ & tribu inventus, & existimatus est. Ita
 „ fere Gregorius Nyssenus homil. de Chri-
 „ sti nativitate. Damascenus lib. 4. de fide
 „ cap. 15. Nicephorus ex Hevodio lib. 1.
 „ cap. 7. & lib. 2. cap. 3. Andreas Creten-
 „ sis orat. de dormit. Virginis, & Simeon Me-
 „ raphras. orat. de ortu Virginis. Indican-
 „ tiam Origenes tract. 26. in Matthæum,
 „ & Theophylactus Matth. 23. & alii Au-
 „ thores supracitati. „ Si igitur Despara-
 „ desponsationis nomine fuit tradita B. Jo-
 „ seph, non fuit inter illos vera desponsa-
 „ tio, adeoque neque vere fuit matrimo-
 „ nium.

Secundo alii dicunt, Mariam dictam fuisse
 Josephi uxorem, & Joseph Mariæ Vi-
 rum, quia tales secundum vulgi opinio-
 nem existimabantur; quemadmodum
 Christus Joseph filius dictus est, hoc est,
 putabatur. Hanc opinionem refert Serry
 cit. loc. n. 2., & ante ipsum restituit Sua-
 rez cit. disputat. 7. sect. 1. verbis hisce: „
 „ Nisi quis fortasse dicat, sicut fuit Joseph
 „ existimatus pater Christi; ita fuisse exi-
 „ stimatum maritum Virginis, non
 „ quia revera talis fuerit; sed quia exterius
 „ talis apparebat cohabitando cum Virgi-
 „ ne, & alia exteriora onera matrimonii
 „ cum illa sustinendo, ut verbi gratia, suis
 „ laboribus familiam sustentans, & Virgi-
 „ nem, ac Christum in Ægyptum ducens,
 „ ac reducens, &c. „

Tertio. Alii negant intercessisse inter
 Mariam, & Joseph verum ac ratum ma-
 trimonium, & tantum concesserunt initia
 fuisse inter illos sponsalia, quæ nunquam

in matrimonium transferunt. Hujus opi-
 nionis, quam errorem vocat, meminit
 Serry cit. exercit. n. 1.

Quarto. Quidam quoque de tempore scri-
 bentes, quo inter Mariam, & Joseph fuit
 initum matrimonium, putarunt, non fuisse
 initum quo tempore ab Angelo saluta-
 ra est, sed tantum antecederet fuisse ver-
 bis de futuro desponsatam; matrimonium
 vero inierunt, quando Joseph ab Angelo
 didicit mysterium divinæ fecunditatis
 Mariæ, & tunc conjugem accepit, & in
 domum suam induxit, hoc est, mensis
 tertio post angelicam salutationem. Ci-
 rantur pro hac opinione Origenes, vel
 quisquis alius sit author homiliæ primæ
 in diversa Evangelii loca apud Origenem,
 Hieronymus, Hilarius, Theophylactus in
 cap. 1. Matthæi, Epiphanius hæresi 78.
 Basiliius homil. de Christi nativitate, Cyril-
 lus catechesi 12.

Quinto. Alii Patres magis communiter vo-
 lunt, Virginem Mariam, quando fuit ab
 Angelo salutata jam fuisse matrimonio
 junctam Josepho. Patres sunt Chrysosto-
 mus hom. 4. in Matth. 5. Ambrosius lib. 2.
 in Lucam cap. 1. Chrysologus serm. 175.
 Euthimius in cap. 1. Matth. Bernardus
 hom. 2. super missus est, quibus subscrip-
 sit S. Thomas 3. par. qu. 29. art. 2. ad 3.

Sexto. Multæ assignantur rationes, propter
 quas fuerit initum inter Mariam & Joseph
 Matrimonium, antequam B. Virgo Chri-
 stum conceperit; quæ quidem rationes
 expendantur a Scripturibus, & a cavilla-
 tionibus aliquorum, contra ipsas scriben-
 tium, vindicantur.

Dicimus I. inter Mariam, & Joseph vere
 fuisse initum matrimonium, illudque
 verum, ac ratum matrimonium fuisse.

I. Probatur, inter Mariam, & Joseph verā
 sponsalia intercessisse, quæ ad verum ma-
 trimonium præsupponuntur. Matthæi 1.
 Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Jo-
 seph. Lucæ 2. Ut profiteretur cum Maria
 desponsata sibi uxore prægnante. Lucæ 1.
 Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Vir-
 ginem desponsatam viro, cui nomen erat Jo-
 seph. Quibus verbis clare intelligitur Ma-
 riam Virginem vere desponsatam fuisse
 B. Joseph, & non tantum illi traditam
 desponsationis nomine; nec dictam fuisse
 desponsatam Joseph sola hominum opi-
 nione, & existimatione, verum quoque
 rei veritate.

II. Probatur, vere quoque inter Mariam, &
 Joseph matrimonium fuisse initum; etenim
 in Scripturis vicissim dicitur Joseph
 Mariæ